PRO S. JOANNIS BAPTISTÆ PANEGYRICO.

MONITUM.

ORationem Panegyricam in Sancti Joannis Baptiſtæ laudem habituro copia deeſſe non poteſt: quorum teſtimonium, quod ipſe Dei Filio, & viciſſim Dei Filius perhibuit, maxime vero accedentibus iis, quæ Spiritus Sanctus de eodem in Evangelio paſſim locutus eſt, Sanctis Patribus ſeppeditavit unde tot Sermones, homilias, & commentarios elucubrarentur. Ceterum tot ſunt Aſcetici libri, qui hoc pertractant argumentum, ut totam Oratoris curam in eo poſitam eſſe neceſſe ſit, ut ſcite ea deligat, quæ inglorioſi hujus Præcurſoris Elogio non ſunt prætermittenda.

Illud unum animadvertendum eſt, quemadmodum ab Eccleſia duo feſti dies in magni hujus Sancti viri honorem celebrantur; alter videlicet quo natus eſt, alter vero quo deceſſit, qui vulgo Decollatio Sancti Joannis appellatur, ita a nobis hoc in delectu ſimul utrumque argumentum attingi; illa enim invicem ſejungi non conſueverunt, cum præſtantiſſimi Sancti hujus laudes celebrantur; quibus adjicimus virtutes, quas ille in vita, eoque intervallo quod inter ejus nativitatem, mortemque interceſſit, exercuit; quod locum nobis præbebit loquendi de illius Miniſterio, de Præcurſoris officio, de pœnitentia, de prædicatione, de virtutibus, de miſſionis ejuſdem fine: deque illis omnibus, propter quæ magnus fuit coram Deo, & coram hominibus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Orationum Panegyricorum Oeconomia hujus argumenti.

Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de Lumine. Joann. 1.

I. HInc verus character eſt S. Joannis Præcurſoris, cujus diem feſtum hodie recolimus. Vir a Deo ſuſcitatus ut teſtimonium illi perhiberet, qui quatenus Dei Filius lumen erat increatum. Vir, cujus remiſsio quæ probata fuit præſtantiſsimo veritatis documento, ſua videlicet inſigni Sanctitate: hæc autem omnia, ut Jeſu Chriſto perhiberet teſtimonium. Huc tendunt omnes illæ virtutes, quarum eximium nobis conceptum adſtruunt Evangelii verba: *Non erat ille lux*, ſed teſtis erat illius, cujus unius erat dicere poſse abſolute, & ſine qualibet conditione: *Ego ſum lux Mundi:* (*Joann.* 1.) Ad teſtandam Dominici hujus verbi veritatem, venit Joannes; quod eſt elogii ejuſdem compendium. Joannis Baptiſtæ teſtimonium pro Jeſu Chriſto; pars prima: Teſtimonium Jeſu Chriſti pro Joanne Baptiſta, pars altera.

Pars prima. Divinus hic Præcurſor omnes habuit eas qualitates, quæ in fideli teſte deſiderantur. 1. Teſtis fuit fidelis ac integer; non defuerunt enim, qui eum Meſsiæ loco habere vellent, ſed talem ſe non eſse, palam profeſsus eſt. 2. Teſtis perſpicax, & gnarus; etenim quidquid ipſi de Jeſu Chriſto ſcimus, & quidquid de eodem ſciendum eſt nobis, hoc Joannes Baptiſta primus omnium docuit per ea teſtimonia, quæ Deo huic Salvatori ſubinde ille perhibuit. 3. Teſtis certus eſt & irreprehenſibilis; Sanctus enim erat, & pro Sancto ab ipſis habitus Judæis. 4. Teſtis zelotes ac ardens; quo enim zelo ad Judæos loquebatur, illis incredulitatem exprobrans, eoſque viperarum genimina appellans? *Venit in Spiritu Eliæ.* (*Luc.* 1. (Teſtis conſtans, ab ipſo enim ſuæ ſanctificationis exordio ad mortem uſque munus ſuum obire non deſtitit, & mori, ut ille pro juſtitia mortuus eſt, ſane erat mori teſtem Jeſu Chriſti. Perhibeamus & nos teſtimonium Jeſu Chriſto per legis ejuſdem obſervantiam, ac ſimus teſtes fideles, zelotes, irreprehenſibiles, & conſtantes.

Pars altera. Jeſu Chriſti teſtimonium pro Joanne Baptiſta. Mundi Salvator, ut Præcurſori ſuo honorem deferret, teſtimonium perhibuit, 1. Perſonæ illius Magnitudini. *Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos Mulierum major Joanne Baptiſta.* (*Matth.* 1.) 2. Miniſterii ejuſdem dignitati: (*Ibidem.*) *Quid exiſtis videre? prophetam? Etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* 3. Excellentiæ prædicationis ejus; omnis enim prædicationis excellentia in hoc ſita eſt, ut doceat, & moveat: ſed juxta Chriſti teſtimonium Joannes Baptiſta erat lucerna ardens, & lucens. 4. Efficientiæ baptiſmi illius; Filius enim Dei ipſe quoque ab eo voluit baptizari. 5. Sanctitati vitæ, ac pœnitentiæ ipſius auſteritati: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam .... hominem mollibus veſtitum?* (*Ibidem.*) Ita Mundi Salvator loquebatur, ut oſtenderet Joannis conſtantiam, vitamque illius auſteram, & mortificatam. Conemur Morum Sanctitate mereri, ut Jeſus Chriſtus aliquando nos coram Patre ſuo recognoſcat, & vereamur e contra, ne contra nos teſtimonium perhibeat ex comparatione morum noſtrorum cum S. Joannis Sanctitate. *P. Bourdaloue.*

II. *Quis putas puer iſte erit? Erit enim magnus coram Domino.* Luc. 1. Deus unus huic interrogationi reſpondere poteſt. Pater Æternus per Malachiam reſpondet hunc Angelum fore, quem ante faciem Filii ſui mittet: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam.* (*Malach.* 9.) Filius reſpondet hunc futurum plus quam Prophetam, & maximum inter filios hominum: *Inter natos Mulierum non ſurrexit Major Joanne Baptiſta.* (*Matth.* 11.) Spiritus Sanctus per Prophetas locutus, teſtatur hunc vocem futurum clamantis in deſerto, vocem Domini in potentia, vocem Dei in magnificentia ſua: *Vocem Domini confringentis cedros.* (*Iſaic* 28.) Quaſi hæc omnia ſatis apta non eſſent ad exprimendas ſublimes cogitationes, & magna Dei Conſilia de hoc puero: ecce Angelum a Sanctiſſima Trinitate miſſum, qui Zachariæ Patri ejus nuntiat, filium hunc magnum fore, & immo in Dei oculis Magnum: *Erit enim Magnus coram Domino.* Non eſt igitur, quid audiamus. Panegyrica S. Joannis oratio jam abſoluta eſt; laudes omnes, quæ illi deferri poſſunt tribus hiſce verbis continentur: *Magnus coram Domino*: hoc eſt, Magnus eſt ſecundum illius judicium, coram quo Mundus univerſus non niſi atomus eſt, & omnes homines nihila animata. Magnus & perfectus eſt coram illo, quem leviſſimæ etiam puriſſimarum creaturarum noxæ fallere nequeunt. Dicere poſſem hunc Magnum futurum propter admirabiles relationes, quas cum Divinis perſonis habiturus eſt; erit enim Angelus Patris, Præcurſor Filii, & Spiritus Sancti Paranymphus: Magnum futurum quia erit legis antiquæ finis, & recentis initium; Magnum futurum, quia Patriarchas omnes, atque Prophetas ſuperabit. Verum quin iis, quæ dixi hactenus immorer, ut ordinatim de illius laudibus loquar, oſtendam,

1. Sanctum Joannem magnum fuiſſe in prima Sanctificatione ſua.

2. Magnum fuiſſe in miſſione, omnibuſque muneribus ſuis.

3. Magnum fuiſſe in actis omnibus vitæ ſuæ.

Quis putas puer iſte erit? Luc. 1. Ut Evangelicæ huic interrogationi de magnitudine pueri hujus, cujus hodie natalitium diem celebramus, fieret ſatis; nonne ſatis eſſet cum Angelo eamdem annuntiante reſpondere, hunc magnum fore non coram hominibus tantum, qui ut plurimum falluntur, cum merita appendunt in fallaci judicii ſui ſtatera; verum etiam coram Deo, cujus æſtimatio æquiſſima eſt regula earum rerum omnium, quæ vere magna ſunt: *Erit Magnus coram Domino.* (*Luc.* 2.) Si enim quidquid in Mundo eſt, coram illo nihil eſt, & ſi quidquid ipſi ſtupentes admiramus, evaneſcit, ac diſſipatur, ſtatim ac cum eo comparatio inſtituitur; nonne opus eſt eſſe aliquid admodum excellens, ut hunc Magni tutulum coram Deo retineat, apud quem, *Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram Domino?* (*Iſaiæ* 40.) Credo equidem ut vobis æquum adſtruam Sancti pueri hujus conceptum operæ pretium facturum, ſi eum ordinem ſecutus fuero, quem Dei ſapientia omnibus in rebus tuetur, videlicet ſuis aptare gratias ac dona magnitudini illius miniſterii, ad quod deſtinat quemque: Unde ſequitur aliquem magnum eſſe ſtatim ac a Deo aliquid magnum deſtinatur, ita ut ſi vobis oſtendero, Sanctum Joannem perfecte defunctum fuiſſe glorioſiſſimo, quod unquam excogitari potuerit, officio Præcurſoris Filii Dei: hoc futurum eſt, ut reor, maximum omnium Encomiorum, & æquiſſima magnitudinis ejus menſura, non ſecus ac perfectiſſimus character, ex quo a Sanctis aliis dignoſcatur. III.

Ut autem hoc methodice fiat, animadverto, fieri poſſe, ut aliquid in anteceſſum cognoſcatur: & hoc in ſenſu illius fieri Præcurſorem triplici modo; primo quidem adumbrando quaſi graphidem quamdam, quæ illum repræſentet, qui eadem eſt Sanctitas: & hoc pacto Sanctus Joannes eminentem habere debuit Sanctitatem: quæ illum a reliquis hominibus ſecerneret; qui primus eſt magnitudinis fons, glorioſum hoc Præcurſoris Miniſterium commendans. Secundo cum hoc myſterium in eo eſſet poſitum, ut Meſſiam annuntiaret, eique vias præpararet, opus erat, ut S. Joannes miram obtineret in mentes hominum auctoritatem, ut illis eum traderet cognoſcendum, qui ad extremum humilis, abjectuſque videbatur, alter magnitudinis fons, tanto apud omnes in pretio haberi ut ſuum teſtimonium innegabile fuerit divinitatis Meſſiæ, & veritatis Miſsionis ejuſdem argumentum. Tandem tamquam Præ-

curſor illius, quem Judæorum populus operiebatur, oſtendit illum, declaravit, & quodammodo proclamavit, Præconis inſtar ambulans ante ipſam, & elata voce clamans hunc eſſe, non autem alium quemlibet, qui ſibi vindicare vellet Dignitatem Meſsiæ, & Liberatoris Populi ſui: *Vox clamantis in deſerto*; (*Marci* 1.) tertius, atque extremus fons magnitudinis; ad id enim oportebat, illum miram habere fidelitatem; ut nihil ſibi reſervaret gloriæ ejus, quam Domino ſuo procurabat. Itaque S. Joannes magnus eſt coram Deo propter dignitatem, ac munus Dominici Præcurſoris; ut enim digne tanto hoc munere perfungeretur, Deus illi tria communicavit, quæ erant neceſſaria, & quæ ſimul hominem vere magnum poſſunt efficere.

1. Eminentem, diſtinctamque Sanctitatem.

2. Probatam auctoritatem; ſuffulta ingenti exiſtimatione meritorum ejus.

3. Fidelitatem eximiam ad obeunda omnia inſignis hujus miniſterii officia. Hoc totum eſt elogii ejuſdem argumentum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

IV. *Erit magnus coram Domino.* Luc. 1. Nos admonet Sapiens, ne quemlibet ante obitum laudibus celebremus; & notandum eſt, vanitatem hominum, quæ ubique gloriæ argumenta quæſivit, numquam de die ortus ſui gloriatam fuiſse. Ipſa etiam Eccleſia, quæ Sanctorum recolit gloriam, diem nativitatis eorum minime celebrat; ſed tantum diem mortis eorum, quem natalitium ipſorum diem appellat; hic enim efficit, ut ad gloriæ immortalitatem reviviſcant. Quorſum igitur hodierna die legem hanc in S. Joannis Baptiſtæ gratiam mutat Eccleſia, quæ diem, qua ille in lucem editus fuit, tanto recolit gaudio, pompa, ſollemnitate? Angelus qui illius nativitatem Zachariæ ejuſdem parenti nuntiavit, in anteceſsum cauſsam adfert, cum ait illum futurum Magnum coram Domino non in decurſu tantum vitæ ſuæ, ſed in ipſo etiam ejuſdem exordio; ubi reliqui pueri parvuli ſunt, infirmi, & imperfecti. Vera hominum magnitudo, & quæ illos coram Deo magnos efficit, ex triplici potiſsimum capite deſumitur: Primum a gratia, quam ab illius manu recipiunt, ſecundo a virtutibus, quas Spiritus ejuſdem impulſu ſequuntur; tertio denique a muneribus, quæ pro gloria ejuſdem exercent. Ex triplici hoc fonte poſſumus hodierna die S. Joannis magnitudinem haurire. Hæc ſunt veluti tria diverſa lumina, quæ antequam in diverſa vitæ ipſius tempora ſe ſe effuderint, ſimul collecta fuere in incunabulis, ut eum gloria coronarent,

1. Magnus eſt propter uberem gratiam, quam accepit.

2. Magnus eſt, propter eximias virtutes, quas exercuit.

3. Magnus eſt propter glorioſum munus, quod obiit, ſeu antequam prodiret in lucem, ſeu in ipſo ſuæ nativitatis momento, ſeu tandem in vitæ ſuæ decurſu, quam in anteceſſum in hoc eodem momento poſſumus conſiderare. Hæ ſunt tres diverſæ magnitudines, tres S. Joannis prærogativæ, ac tria ſermonis hujus argumenta. *Biroat.*

VI. *Inter natos Mulierum non ſurrexit Major Joanne Baptiſta.* Matth. 11. Fatendum eſt inter omnes Sanctos, quos colit Eccleſia, nullum eſſe pro quo Jeſus Chriſtus locupletius perhibuerit teſtimonium, quam pro S. Joanne Baptiſta; quandoquidem ipſe, quatenus Verbum Incarnatum, admirabile compoſitum eſt, ubi oppoſita ſimul conveniunt, ac felici eventu conciliantur; Dei quippe Filius ſua perſona Cælum, terramque conjungit, tempus cum æternitate, Verbum cum carne, utque omnia verbo complectar, humanitatem cum divinitate conſociat; & S. Joannes tamquam fidele exemplum tanti autographi in ſe ipſo; 1. Innocentiam cum pœnitentia; 2. Magnitudinem cum humilitate; 3. Et quod vix, & ne vix quidem intelligi poteſt, perfruitionem cum ipſa privatione conjungit. *P. Senault Oratorii Presbyter.*

Erit magnus coram Domino. Luc. 2. Triplex magnitudinis genus in S. Joanne deprehendi poſſet; primum officii, alterum gratiæ, ac tertium meriti. Primum illud innititur officio, quo functus eſt Præcurſoris, ac Teſtis Domini noſtri, quod eſt Prophetæ, pluſquam Prophetæ munus, cum ipſe debuerit digito, & coram Salvatorem oſtendere, cum antiqui Prophetæ illum eminus dumtaxat præſignaverint.

VII. Alterum magnitudinis genus, quod a gratia procedit, non minus ſpectabile eſt. Si enim non poſtrema Regni Jeſu Chriſti lex eſt, *qui ſe exaltat humiliabitur*; (*Luc.* 14.) Rex ſæculorum immortalis poteratne potiori jure favere alteri, quam illi, qui ſe ipſum indignum exiſtimaverat, qui eidem abjectiſſima præſtaret officia?

VIII. Tertium magnitudinis genus fluit a meritis, eaque præſtantior eſt utraque priori. Verum quidem eſt ſine prævenienti gratia nullum dari meritum; & cum Sancti Præcurſoris gratia, quæ illi collata fuit, ut ſuum munus obiret, uberrima extiterit, & Sanctus hic vir nihil prætermiſerit ad eam promerendam, inde ſequitur ipſum meritis quoque Magnum fuiſſe. Affirmare itaque poſſumus, quin reprehendi merito vereamur, Sanctum Joannem magnum fuiſſe coram Deo triplici hoc magnitudinis genere; & ideo ad tantum Sanctitatis apicem fuiſſe provectum.

Inter natos Mulierum non ſurrexit Major Joanne Baptiſta. Matth. 11. Hæc verba, quæ Dominus noſter in S. Joannis laudem protulit, ad litteram vera ſunt. Poſt hoc teſtimonium non ſine quadam jurisjurandi ſpecie firmatum, omnes conjecturæ, privatæque opiniones, conticeſcant oportet. Hic non loquitur os venale, atque ad aſſentandum pronum, non homo, qui falli, vel fallere poſſit; Deus ipſe eſt, qui laudibus celebrare dignatur, quod dignum eſt laudibus. Magnis, ſublimibuſque virtutibus, eum, quem merentur dignitatis, ac prælationis locum tribuit. Verum ſi de hujus teſtimonii veritate ambigere nefas eſt; fas tamen eſt rei hujus argumenta ſcrutari; quæ vero a me in ipſo Evangelio fuerint inventa, hæc ſunt.

1. Inter natos mulierum nemo nativitatis ſuæ privilegia, vel vitæ ſuæ ſanctitatem majoribus ſuſtinuit auſteritatibus, quam Joannes Baptiſta.

2. Inter natos Mulierum nemo majoribus virtutibus ſe ſupra tentationes, ac miniſterii ſui labores extulit, quam Joannes Baptiſta. Audacter cum Salvatore dicam: *Inter natos Mulierum non ſurrexit Major Joanne Baptiſta.* Et profecto ubinam inter filios hominum inveniemus aliquem qui in Majori innocentia majores in ſemet mortificationes exercuerit? Ubi aliquem, qui in vitæ hujus tentationibus majorem præſetulerit zelum, & humilitatem? *Elogia hiſtorica.*

Præibit enim ante faciem Domini parare vias ejus. Luc. 1. Omnes ſalutis viæ ad duas redigi poſſunt, innocentiam, & pœnitentiam. Utramque Mundi Salvator complexus eſt; fuit enim ſine peccato, & omnium peccatorum pœnas ſuſtinuit. Mihi igitur oſtendendum eſt Sancti Joannis vitam fuiſſe pœnitentem ſimul, & innocentem. Omnes Sanctitatis viæ ad duas pariter referuntur, actionem, & contemplationem. Duo hæc ſimul optime Salvator conjunxit; cum totum vitæ ſuæ ſpatium in prædicatione, ac receſſu fuerit partitus. Sancti Joannis via in hoc vitæ Salvatoris ſimilis fuit, vere igitur dicere poſſumus Sanctum Præcurſorem hæc ſimul junxiſſe.

1. Extremum contemptum rerum omnium etiam licitarum, cum horrore eorum omnium, quæ lege divina prohibentur.

2. Ardentem, atque indefeſſum zelum cum ſummo ſolitudinis, & quietis amore.

Multi in nativitate ejus gaudebunt. Luc. 1. Si plures in die IX.
natali S. Joannis Baptiſtæ gaviſi ſunt, hoc accidit propter miracula, quæ illorum oculos perſtrinxerunt; & quæ recentia adhuc, miracula pollicebantur, ita ut ſibi quiſque invicem diceret, *quis putas puer iſte erit?* Et (*Luc.* 1.) Et profecto ſi ad examen revocentur operationes gratiæ in corde, corpore, & mente S. Joannis, liquebit.

1. Gratiam in corde illius peperiſſe virtutes ardentiſſimas; quamobrem ille a Jeſu Chriſto vocatus fuit *Lucerna ardens, & lucens.*

2. Gratiam auſteriſſimas in corpus ejus virtutes peperiſſe, quod eo uſque mortificabat, ut locum fecerit credendi, ipſum neque habuiſſe unquam, nec manducaſſe: *Venit Joannes neque manducans, neque bibens.* (*Matth.* 11.)

3. Gratiam peperiſſe virtutes humilitatis amantiſſimas in mente illius, quæ cum ante ipſius nativitatem inceperint, ſeſe cum fulgore in reliquum vitæ ſpatium effuderunt, quo nihil antiquius illi fuit, quam Jeſum Chriſtum attollere, ſe vero ipſum deprimere: *Oportet illum creſcere, me autem minui.* (*Joann.* 3.)

Hic venit, ut teſtimonium perhiberet de lumine. Joann. cap. 1. X.
Præcipuum S. Joannis officium erat Meſſiam præſentem annuntiare, eumque veluti digito mortalibus oſtendere. Ut hoc munere perfungeretur, in triplici apparuit theatro, ubi Domini prædicavit Adventum.

1. Matris utero, cum motu Spiritus Sancti ſubſiliit: *Exultavit infans in utero meo.* (*Luc.* 1.)

2. Secus ripas Jordanis, ubi viva voce illum annuntiavit Judæis, dicens, Jeſu Chriſtum Agnum eſſe, qui venerat ad omnia Mundi peccata delenda: *Ecce Agnus Dei: Ecce, qui tollit peccata mundi.* (*Joann.* 1.)

3. In Herodis aula, ubi annuntiavit illum voce ſanguinis ſui, æque clamantis, ac ſanguis Abel.

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 11. XI.
Videtur aliquid addi poſſe verbis Salvatoris Joannem ſupra natos mulierum extollentis; hinc enim per Prophetam Angelus appellatur, inde vero pro Meſſia deſumitur. Et ſane ſi Sanctus Joannes conſideratur,

1. In miraculoſa nativitate,

2. In vita auſteriſſime in pœnitentia tranſacta,

3. Et in morte ſua; videbimus ſi quædam exiſtunt diſtinctionis inter Salvatorem, & Præcurſorem ejus lineamenta, quæ perſuadent illum nequaquam fuiſſe lucem; (*Joann.* 1.) non deeſſe tamen alias ſimilitudines, quæ efficiunt, ut pro Jeſu Chriſto deſumatur, ita ut neceſſe ſit admonere, illum nequaquam eſſe lucem, quia alioquin ſine hac præcautione pro eadem luce deſumeretur.

Quantum Dei Filius Sanctum Joannem glorioſum effece- XII.
rit. 1. Ipſa nativitate, illum ex ipſo Matris ſuæ utero ſanctificans: gaudium, quod miraculoſa hæc nativitas attulit regioni illi univerſæ, & miraculum, quod operata eſt loquendi uſum reſtituens Zachariæ &c. 2. Ipſa dignitate Præcurſoris Meſſiæ, qua nulla inſignior homini conferri poterat: 3. Donis, & gratiis, quibus Salvator eum cumulavit, illum efficiens Prophetam, & pluſquam Prophetam, & gratias, favoreſque ſuos accommodans dignitati, ac neceſſitati ejus miniſterii, ad quod erat deſtinatus. 4. Illuſtri teſtimonio, quod hic idem Salvator reddidit Sanctitati ſui Præcurſoris.

Quantum viciſſim gloriæ Filio Dei Sanctus hic procuraverit.

BIBLIOTECA CENTRAL

rit. 1. Teſtimonio quod illi perhibuit. 2. Pœnitentia, & vitæ auſteritate oſtendens quænam eſset futura Sanctitas illius, quem nuntiabat, & cur venerat. 3. Voce Sanguinis ſui, atque Martyrio vitam ſuam fundens, ut divinam legem tueretur.

XIII. Ad oſtendendum ad quem Sanctitatis apicem S. Joannes pervenerit, dici poteſt;

1. Ejus principia maximorum Sanctorum perfectionem exæquaſse; cum enim in matris ſuæ utero ſanctificatus fuiſset, venit in Mundum plenus gratiæ, videlicet cum tali Sanctitate, qualem alii Sancti vix ad vitæ ſuæ finem adepti fuerunt.

2. Ejus progreſſus in virtute, & Sanctitate prodigio ſimiles fuiſse; quoniam innocentiam cum pœnitentia ita conjunxit, ut miraculi loco hæc viſa fuerit; ac præterea in dies ſemper crevit præſtantiſſimas virtutes exercens.

3. Fines, & conſummationem virtutis ejus glorioſam fuiſſe, & mortem in conſpectu Dei pretioſam, quoniam pro cauſsa Domini Martyrium paſsus eſt, ſuumque effudit Sanguinem pro juſtitia, & caſtitate.

XIV. Pro Textu aſsumi poſsunt hæc verba, quæ Seraphim inceſsanter in Dei honorem concinunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: oſtendendo,

1. Sanctum Joannem Baptiſtam Sanctum eſse ab ipſa nativitate, quia venit in Mundum cum gratia Sanctificante.

2. Sanctum eſse in toto vitæ ſuæ curriculo propter præſtantiſſimarum virtutum exercitationem, propter glorioſiſſimum munus ſuum, & heroice facta.

3. Sanctum eſse in morte, quia Martyrium perpeſsus eſt, qui actus eſt perfectiſsimæ Caritatis, & amoris maximi, quem aliquis Deo poſsit teſtari: *Majorem caritatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. (*Joann.* 15.)

XV. Magnum Sanctum Joannem conſiderare poſsumus, qualis viſus eſt Judæis, cum de ſaltuum deſertorumque latebris, ubi uſque ad annorum triginta ætatem delituerat, cœpit baptizare, & prædicare. Itaque in perſona illius admirari poſsemus,

1. Prædicatorem maximum, ac digniſſimum, qui audiretur, inter eos qui locuti fuerint tamquam ante Mundi Salvatorem; quoniam miſsus fuerat cælitus talis, qualem eſse oportebat, ut Meſsiæ nuntiaret adventum, eumque ſuo teſtimonio confirmaret, quod ſine ſingulari virtute, ac merito, quo ſecerneretur ab omnibus Prophetis, qui ad eam uſque diem floruerant, obtinere minime potuiſset.

2. Conſiderari poteſt, ac per ſingula oſtendi, quænam fuerit doctrina, quam prædicavit, ut populos præpararet ad hunc Meſsiam recipiendum, cui viam ſtravit per pœnitentiam. Itaque hæc tota eſt Sermonis diviſio: Prædicatoris præſtantia, doctrinæ neceſſitas.

XVI. Pro themate illa accipientes verba: *& erit Magnus coram Domino*: conſiderare poſsumus Sanctum Joannem tamquam tripliciter Magnum.

1. Magnus per gratiam occupatæ Sanctificationis, & per plenitudinem Spiritus Sancti, quem in ipſo Matris utero recepit.

2. Magnus per profundam humilitatem, quæ æquabat, vel ſuperabat potius quamlibet celſitudinem.

3. Magnus per zelum ardentem, heroicamque fortitudinem, quam perterrere nihil valuit, quia ſimilis erat illi Prophetæ Æliæ, contemptor minarum, ſuppliciorum, & mortis ipſius.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad has Orationum ſtructuras exornandas. Et Auctores, qui agunt de hoc argumento.

SAnctus Auguſtinus quatuor habet hujus argumenti Sermones. Primus eſt de Sancti Joannis Nativitate, ubi rationem affert, cur illius feſtus dies agatur, cum hoc de nullo alio facere conſuevit Eccleſia. Alter continet comparationem inter hujus Sancti, & Jeſu Chriſti nativitatem. Tertius eſt Sancti hujus Elogium, ubi fuſius verba facit de illius Majoribus, virtutibus, & meritis. In quarto vero ea repetit, quæ in tribus aliis dicta fuerunt.

Idem Sermone 21. & 23. *de Sanctis*, & ſermone 40. 75. *de diverſis*.

Idem de S. Joannis Baptiſtæ decollatione Serm. 84. & ſerm. 10. 11. 17. ex additis.

S. Ambroſius quoque tres habet: in quorum primo Sancti hujus admirabilem nativitatem cum ejus morte comparat. In ſecundo de Sancti hujus prærogativis agit; in tertio tandem de virtutibus illius; & oſtendit, quo pacto vias Domini præparaverit.

S. Hieronymus *adverſus Luciferianos* deſcribit admirabilem S. Joannis mortificationem.

Idem *Epiſt.* 4. *ad Ruſticum* eumdem nobis adſtruit conceptum.

S. Chryſoſtomus quatuor Sermones edidit. In primo, qui falſo eidem creditur adſcriptus, verba facit de vita, quam S. Joannes duxit in deſerto, & de aſpera ejuſdem pœnitentia. In altero oſtendit ſingularem fuiſse Sancti hujus gloriam, Salvatorem ſuum baptizaſse. In tertio loquitur de oraculo Zachariæ, & in omnibus Sanctum Joannem cum Elia comparat. In quarto Sermonem inſtituit de illius miraculoſa conceptione, & de gaudio, quod teſtatus eſt cum adhuc eſſet in utero Matris ſui coram Jeſu Chriſto, & qui & ipſe in Deiparæ ſinu latebat.

Idem in homilia decima in tertium Sancti Matthæi caput loquitur de Sancti Joannis auſteritate in victu ſimul, atque veſtitu.

Idem vel potius Auctor operis imperfecti in S. Matthæum homil. 27. hæc explicans verba: *Quæ cum adiſſet Joannes in vinculis*, docet, quo gaudio S. Joannes mortem ſubierit, eamque inſignis beneficii loco acceperit.

Idem in homilia 31. ubi verba facit de receſſu S. Joannis in deſertum, cujus adfert cauſſas. Ibidem etiam agit de Sancti hujus prædicatione, quæ Apoſtolica erat alia, & mox de auctoritate, cum qua loquebatur apud Judæos, deque conſiliis, quæ ipſe præbebat iis, quos baptizaverat.

Idem homilia undecima refert exprobrationes, quibus S. Joannes Judæos corripiebat.

Idem in Sanctum Joannem homilia decima ſexta, quærit, utrum alii viderint columbam deſcendentem ſuper Jeſum Chriſtum tunc temporis, quo a S. Joanne fuit baptizatus.

Idem homilia decima quinta, loquitur de Baptiſmo Joannis, quæ erat quædam diſpoſitio ad Salvatoris baptiſmum.

Idem homilia decima tertia fuſius verba facit de zelotypia Diſcipulorum Sancti Joannis, & de magni hujus Sancti humilitate.

Idem in nona ſupra quadrageſimam homilia in Matthæum loquitur de reverentia Herodis erga S. Joannem Baptiſtam, de crudelitate Herodiadis, & de magni hujus Sancti conſtantia.

Origines in Lucam, homilia ſeptima, loquitur de viſitatione Sanctæ Virginis ad Eliſabeth, & quomodo Spiritus Sanctus illam huc duxerit, ut S. Joannes Sanctificaretur.

Idem homilia undeviceſima rationem adfert, cur Virgo tribus menſibus commorata fuerit apud Sanctam Eliſabeth.

Idem homilia undecima multa habet de Sancti Joannis ſeceſſu in deſertum.

Sanctus Petrus Chryſologus ſeptem edidit de glorioſo hoc Præcurſore Sermones, ubi nihil prætermiſit, quod ad vitam, actiones, & virtutes ejus pertineat.

Beda Venerabilis duas habet homilias, in quarum altera de iis agit, quæ ad Sancti hujus perſonam, & propinquos pertinent, in altera vero latius diſſerit de miraculis, quæ in ipſius nativitate acciderunt.

Euſebius quoque Emiſſenus duas habet homilias.

S. Bernardus prolixum habet ſermonem de privilegiis, & elogiis glorioſi hujus Sancti.

S. Bonaventura duos; primum in illa Iſaiæ verba, *Dedi te in lucem gentium*, ubi Joannem luci comparat, in altero verba facit de virtutibus, & potiſſimum de Sancti hujus zelo pro juſtitia.

Guerricus Abbas quatuor edidit hujus argumenti Sermones.

Innocentius Pp. III. Sermonem habet in hujus Diei feſti ſollemnitatem.

Hugo Victorinus, Sermones quatuor.

S. Maximus Homilias tres.

S. Laurentius Juſtiniani unum Sermonem,

Albertus Magnus Sermones duos: primum in hæc verba: *Puer creſcebat, & confortabatur Spiritu*; alterum in illa: *Vox clamantis in deſerto*.

Guillelmus Pariſienſis Sermones duos de virtutibus, & prærogativis hujus Sancti.

Dionyſius Chartuſianus Sermones duos.

Idem in Epiſtola quadam magnifice laudat hunc Præcurſorem.

S. Thomas præterea, quæ dixit in Summa, duos edidit Sermones, alterum quidem de illius nativitate, alterum vero de ejus munere.

P. Novet in tomo ſuarum Meditationum, cui titulus: *Vita Jeſu Chriſti in Sanctis ſuis* verba facit de S. Baptiſta in elucubratione quadam, quæ ſermo fortaſſe eſt. *Aſcetici, aliique.*

P. de Argentano e Capuccinorum familia in tomo de Magnalibus Jeſu collatione duodecima, ubi agit de Domini noſtri Baptiſmo, verba facit de honore, quo S. Joannes tunc affectus fuit, & de iis, quæ tunc inter illum, & Mundi Salvatorem acciderunt.

Granatenſis in tractatu de Jejunio, de admirabili S. Joannis abſtinentia verba facit.

P. Haineuve Meditatione pro die Junii 25. de Sancto Joanne.

Caniſius *tom.* 1. *De verbi Dei corruptela*, loquitur de magni Sancti hujus prædicatione.

A Ponte parte tertia Meditationum de Fide, Meditatione ſecunda, & decima ſexta.

Interpretes in tertium S. Matthæi caput, item in Lucæ tertium, & in primum in Joannem, præſertim vero Salmeron, & Sylveira.

Inter Theologos Suarez, & Philippus Dies in Summa fuſius pertractarunt quidquid ad hoc pertinet argumentum.

Biroat in ſecundo Orationum Panegyricarum tomo. *Concionatores Recentiores.*

P. Senault Oratorii Presbyter tomo primo.

P. Texier tomo primo Panegyricorum.

P. De la Colombiere, ſermone ultimo Tomi ſecundi de Myſteriis.

Ogier

Ogier tomo 1. actionum ſuarum publicarum.

P. Bourdaloue in tomo 1. de Feſtis Sanctorum.

D. Duneau, tomo 1. Panegyricorum.

Auctor Elogiorum Hiſtoricorum tomo altero.

Abbas de Maruc in Sermonibus.

Lambert in tomo ſexto Anni Chriſtiani.

Treuve in piis ſermonibus ſuis unum habet hujus argumenti.

P. Oder d'Allier in tomo primo de Sanctorum Panegyricis.

In Specimine Panegyricarum Orationum, tres ſunt hujus argumenti partitiones, ac tria compendia.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, in tomo 2. Panegyricorum.

Molinier licet non admodum recens plura habet, eaque optima ad hoc argumentum pertinentia.

Granatenſis tres habet Sermones in diem feſtum S. Joannis; Et Oſorius unum, quibus Concionator utiliter uti poteſt.

Qui collectanea ediderunt. In ſeptem Sermonibus, quos Mathias Faber edidit de S. Joanne Baptiſta, multa ſunt, quæ hoc in argumento ſunt probatiſſima.

Labatha, titulo, *Joannis Baptiſta laudes.*

Spaner, Polianthea Sacra; Titulo *S. Joannes Baptiſta.*

Engelgrave, in parte Lucis Evangelicæ tertia. Titulo, *Feſtum Joannis Baptiſtæ.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, figuræ, Exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

PRiuſquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva, Sanctificavi te. Jerem. 1.

De ventre Matris meæ vocavit me Dominus. Iſaiæ 49.

Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Malach. 3.

Venit Joannes Baptiſta prædicans in deſerto Judææ, & dicens: pœnitentiam agite, appropinquavit Regnum cælorum. Matth. 3.

Hic eſt, qui dictus eſt per Iſaiam Prophetam: vox clamantis in Deſerto, parate viam Domini: rectas facite ſemitas ejus. Idem ibidem.

Iſte Joannes habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: Eſca autem ejus erat locuſta, & mel ſylveſtre. Ibidem.

Exibat ad eum Jeroſolyma, & omnis Judæa, & baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata ſua. Ibidem.

Videns multos Phariſæorum, & Sadducæorum venientes ad Baptiſmum ſuum, dixit eis: progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira? facite fructus dignos pœnitentiæ. Ibidem.

Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni. Ibidem.

Qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare. Ibidem.

Joannes prohibebat eum, Jeſum, *dicens: Ego debeo a te baptizari, & tu venis ad me?* Ibidem.

Joannes cum audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de Diſcipulis ſuis, ait illi, tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 11.

Cœpit J. dicere ad turbas de Joanne: quid exiſtis in Deſertum videre? arundinem vento agitatam? &c. Idem ibidem.

Sed quid exiſtis videre? Prophetam? *Etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam.* Ibidem.

Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Ibidem.

Amen dico vobis; non ſurrexit inter natos Mulierum major Joanne Baptiſta. Ibidem.

A diebus Joannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ibidem.

Omnes Prophetæ, & lex uſque ad Joannem. Ibidem.

Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Marc. 1.

Fuit Joannes in Deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Idem ibidem.

Venit fortior me poſt me, cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus. Ibidem.

Venit Jeſus a Nazareth Galilææ, & baptizatus eſt a Joanne in Jordane. Ibidem.

Herodes dicebat, quia Joannes Baptiſta ſurrexit a mortuis, & propterea virtutes operantur in illo. Marci 6.

Dicebat Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Ibidem.

Herodes metuebat Joannem, & audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat. Ibidem.

Cum introiſſet Herodias ad Regem, petivit dicens: Volo, ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ, Ibidem.

Rex miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput ejus in diſco, & decollavit eum in carcere. Idem ibidem.

Ait autem Angelus ad Zachariam, ne timeas, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem. Luc. 1.

Erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt. Idem ibidem.

Spiritu S. replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ. Ibidem.

Et multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum. Ibidem.

Et ipſe præcedet ante illum in Spiritu, & virtute Eliæ. Ibid.

Joannes eſt nomen ejus. Ibidem.

Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Ibidem.

Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ibidem.

Puer autem creſcebat, & confortabatur Spiritu, & erat in deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ. Ibidem.

Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ Filium in deſerto. Ibidem cap. 3.

Baptiſmus Joannis de cælo erat, an ex hominibus? Idem c. 20.

Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen Joannes: hic venit in in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Joann. 1.

Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Idem ibidem.

Joannes teſtimonium perhibet de ſe ipſo, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi, qui poſt me venturus eſt; ante me factus eſt, quia prior me erat. Ibidem.

Miſerunt ab Jeroſolymis Sacerdotes & Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum, Tu quis es? Ibidem.

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Luc. 7.

Et confeſſus eſt, & non negavit; & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Joann. 1.

Elias es tu? & dixit: Non ſum. Propheta es tu? & reſpondit: Non. Ibidem.

Quid dicis de te ipſo? Ibidem.

Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta. Ibidem.

Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ibidem.

Et teſtimonium perhibuit Joannes, dicens: quia vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum. Ibidem.

Ego te vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei. Ibidem.

Ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans. Ibidem.

Vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi. Ibidem.

Illum oportet creſcere, me autem minui. Joann. 3.

Ille erat lucerna ardens, & lucens. Joann. 5.

Lex, & Propheta uſque ad Joannem: ex eo regnum Dei Evangelizatur, & omnis in illud vim facit. Luc. 16.

Exempla, ſimilitudines & figuræ biblicæ hujus Argumenti.

S. Joannes ſe comparat voci in deſerto clamanti. SAnctus Joannes interrogatus ab illis, quos Judæorum Principes miſerant ad illum ſciſcitatum, quis eſſet: *Quid dicis de te ipſo?* ut illis reſponſum demus, a quibus miſſi fuimus? Dixit eis: *Ego vox clamantis in deſerto: parate viam Domini.* (*Joann.* 1.) Quid eſt vox? Sonus eſt, qui oriens moritur, in aere agitato dumtaxat ſubſiſtit, qui aurem tundit, & evaneſcit. Hæc ea ſunt, quæ de ſe cogitari vult Precurſor; ſe non aliud eſſe quam vocem clamantis in deſerto; at non hoc illud eſt, quod de illo ab omnibus teneri vult Deus. Immo vult prorſus aliud de Præcurſore ſuo ferri judicium. Quamplurimis ad Sanctum hunc hominem videndum confluentibus dixit: *Quid exiſtis videre* (*Matth.* 11.) arundinem vento agitatam? hominem mollibus veſtitum, ſimilem illis, qui in Principum aula verſantur? Haud ita, J. C. ait, nil tale. Propheta eſt, & plus quam propheta. Angelus miſſus a Deo ad vias Domini præparandas; utque omnia verbo complectar, inter natos mulierum non ſurrexit Major Joanne. Ecce profunditatem humilitatis Sancti Præcurſoris, qui in nihilum Creaturæ coram Creatore ſeſe recipiens, non crevit ſe nimis demittere coram ſancta Dei Majeſtate ſeipſum comparans ſono, qui aurem tantummodo vellicat, ac ſtatim evaneſcit, & qui profecto abjectiſſimum eſt, quod fingi poſſit.

Magna S. Joannis ſimilitudo cũ Jeſu Chriſto. Eximia eſt S. Joannis Chryſoſt. ſimilitudo, S. Joannem felici caracteris conformitate, adeo ſimilem J. C. fuiſſe, ut pro hoc ſæpe deſumeretur, & J. C. eamdem ob cauſſam, licet Unigenitus eſſet Dei, ita S. Joanni ſimilem extitiſſe, ut Evangelio teſte, ſæpe pro S. Joanne reciperetur. Hinc enim factum eſt, ut audiens Herodes miracula, quæ hic Homo Deus in Judæa operabatur, diceret, hunc eſſe Joannem Baptiſtam redivivum; & hinc etiam Phariſæi videntes vitam prorſus cæleſtem, quam Joannes in deſerto ducebat, non dubitabant quominus ipſe Chriſtus eſſet patribus ipſorum promiſſus, eo uſque, ut legationem mitterent ad ipſum, ut eum hoc nomine ſalutarent. Sed illius gloria eo major eſt, quod cum pro Chriſto deſumeretur, ac pro tali haberetur; palam ſe non eſſe profeſſus eſt, & haud hæſitanter negavit honorem, qui ſibi deferebatur, ne Deo ſuo fidelem eſſe deſineret. His addi poteſt, quod idem S. Joannes Chryſoſtomus ait, quemadmodum J. C. ex primo momento, quo creari cœpit, per Tertiam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam factus fuit Magni Conſilii Angelus, pleniſſimam habens divinorum Conſiliorum cognitionem; ita Sanctum J. C. præcurſorem per revelationem accepiſſe a Deo cognitionem perfectam omnium

Myſte-

Myſteriorum, quæ per Salvatoris Incarnationem erant adimplenda: *Deus Joanni, qui in Ventre erat, revelavit Myſterium, & ſuſceptæ carnis œconomiam.*

Singulare eſt S. Joannis privilegium, in utero Matris Sanctificatũ fuiſſe, dum reliqui cum originali peccato naſcantur.

Naſci cum ornatu, ac lumine non vulgaris gratiæ ſingulare privilegium eſt S. Joanni a J. C. conceſſum. Aliter agit cum aliis filiis hominum, qui in originali peccato concepti, cum hac labe naſcuntur. Hoc hujus nativitatis momentum reddit infelix; hoc ex eorum oculis elicit lacrimas; & mortalium omnium patientiſſimum impulit, ut doleret, quod natus eſſet, diem ſuæ nativitatis damnaret, & cuperet, ut ille de numero dierum ſuorum deleretur. Sed S. Joannis gloria hac in re eo præſtantior eſt, quo major aliorum ignominia; quoniam cum adhuc in matris utero verſaretur, omni peccati originalis labe mundatus fuit; omnes vero hominum filii ab ipſa die, qua in hunc mundum ingrediuntur, captivi ſunt, & ſervi communis humani generis inimici.

Joannis Sãctificatio certiſſima eſt; Jeremiæ autem incerta.

S. Joannis nativitas, ejuſque in ſinu matris ſanctificatio præferenda eſt illi Jeremiæ, quæ non aliud fuiſſe videtur, quam imago quædam Sanctificationis Sancti Præcurſoris. Et profecto adeo magnificis verbis utitur Propheta, ac tanta pollicetur, ut palam conſtet, hæc de ipſo intelligenda non eſſe, ſed de alio quopiam. Ad Judæorum populum potius loquendum eſt; Joannes vetus claudit Teſtamentum, & novum aperit, in quo duo populi conjungendi ſunt, Judæi videlicet, atque Ethnici. Hic ergo utramque vocat; Dominus ad hoc illum deſtinavit, antequam naſceretur in ipſo matris utero, immo etiam ab æterno. Joannes Baptiſta non ſolum a Deo, ſed etiam ab hominibus cognitus fuit. Nonne promiſſus fuit oraculis Prophetarum, quandoquidem Iſaias Propheta nonniſi figura ejus extitit, & Malachias ipſum Angelum appellavit? Propter hæc ipſa privilegia S. Auguſtinus aſſerit S. Joannem fuiſſe pluſquam Prophetam, & quia Prophetæ illum prædixerant, & quia præſens illum digito monſtrabat, quem Prophetæ promiſerant.

S. Joanni hoc privilegium fuit quod vidit, & oſtendit, quẽ Prophetæ videre tantum concupierunt.

Ardentiſſimum Prophetarum votum fuit Salvatorem videre, & nonniſi cum mœrore vixerunt in terris, eo quod non vixere eo ſæculo, quo audire poſſent oracula, quæ de ore illius procedebant, & miracula intueri, quæ manibus ſuis operabatur, & adorabili ejus præſentia frui. Itaque non minimum eſt S. Joannis privilegium vidiſſe Filium Dei, illum in Jordane baptizaviſſe, eum populo oſtendiſſe, ſuamque vocem voci Patris Æterni adjunxiſſe, ut doceret Judæos, J. C. eſſe Meſſiam a Deo promiſſum, atque per Prophetas prænuntiatum. Cum Salvator voluit, Diſcipulos ſuos intelligere ſuam felicitatem videndi, & audiendi ipſum; illis ob oculos poſuit Patriarcharum vota, eiſque dixit, illos videre, quod complures juſti videre cupiverant, & minime viderant. Et cum Abrahæ felicitatem celebrare voluit, illud dicere non prætermiſit; Abraham optaſſe videre diem illius, & licet illum nonniſi in ænigmate, atque in figura vidiſſet, ſumma tamen cum animi lætitia gratiam hanc conſecutum, eademque fuiſſe gaviſum. *Abraham exultavit, ut videret diem meum: vidit & gaviſus eſt.* (*Matth. 15.*) Et profecto maxima Apoſtolorum lætitia, qua in terris fuerint gaviſi, hæc eſt, vidiſſe Salvatorem, illum in itineribus ejus comitatum fuiſſe, prædicationes illius audiviſſe, ex divinis colloquiis illius profeciſſe, ac fuiſſe fideles eorum teſtes, quæ ab illo dicta, factaque fuerunt.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Dei Filius, quin judicii diem expectaret Sancti Joannis merita evulgavit, qui Meſſiam fuerat confeſſus, ejuſque divinitati teſtimonium perhibuerat.

QUi *confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Matth. 10. Ne miremini, quod Mundi Salvator, quadam animi grati ſpecie voluerit S. Joanni teſtimonium perhibere, atque teſtis eſſe illius, qui ſibi teſtis extiterat. Hoc enim egit, S. Chryſologus inquit, ut tunc etiam adimpleret, ac probaret illam adeo ſollemnem atque authenticam promiſſionem: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, & coram Angelis in die noviſſimi adventus mei. Ita affirmabat Dei Filius loquens de juſtis omnibus generatim. Sed cum Joanne Baptiſta longe potiora præſtitit; etenim quin expectaret ſæculorum finem, illi in hac ipſa vita perhibuit teſtimonium; illum agnovit, eumque modis omnibus glorificavit. Apertius loquar. Quid egit Mundi Salvator, ut præcurſorem ſuum honore afficeret? Teſtimonium perhibuit, meritis perſonæ ejuſdem; dignitati miniſterii ipſius; præſtantiæ prædicationis ejus; efficientiæ baptiſmi, ſanctitati vitæ, & auſteritati pœnitentiæ: Hæc autem totidem ſunt elogia, quæ ex ipſo Filii Dei ore in S. Joannis gratiam prodierunt.

Angeli, & ipſius Filii Dei teſtimoniũ de S. Joannis nativitate.

Erit magnus coram Domino. Luc. 1. Ecce Angelus a Deo miſſus ad omnem parentum illius dubitationem auferendam, eoſque palam, & ſingillatim docendos, quid illis cogitandum eſſet de Joannis perſona, ſimulque tradendam futuris ſæculis cognitionem mirabilium hujus Angeli Filii Dei. Quæritis ſcire quis puer iſte erit? & ego dico, Angelus ad eos legatus ait, hunc futurum magnum coram Domino. Quod ſane teſtimonium ſatis erat, ut J. C. Præcurſor ſanctiſſimus haberetur. Nam magnum eſſe coram hominibus, nihil eſt: magnum eſſe coram Principibus, & Regibus, qui terræ Dii ſunt, parum eſt; quia hi terræ Dii, & ipſi parvi, & minimi ſunt; ſed magnum eſſe coram Domino, ut S. Joannes Baptiſta, hoc eſt eſſe vere magnum, hoc eſt eſſe abſolute magnum; eſt enim eſſe magnum coram illo, qui non ſolum eadem eſt magnitudo, ſed omnis magnitudinis fons, atque menſura. Et profecto omnia coram Deo parva ſunt, & celſiſſimæ terrarum poteſtates coram divina hac Majeſtate nihil ſunt niſi atomi, & nihila; Sed S. Joannes aliquid eſt, & aliquid magnum coram ipſo Deo. Homines nihil dicere potuerunt, & Angelus Domini non ſatis dixit. Sed Filius Dei omnia coronabit teſtimonio ſuo, quod complectitur, vel etiam omnia ſuperat elogia: *Amen dico vobis: Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta:* (*Matth. 11.*) Ecce magnitudinis cumulus. Nam magnum eſſe etiam coram Deo, hæc tandem laus erat, quæ ad plures alios Sanctos pertinebat. Sed adeo magnum eſſe, ut inter omnes natos mulierum nemo eſſet major illo, hæc peculiaris laus eſt, & ſolius S. Joannis Privilegium.

Senſus hominum de futura Sancti Joannis magnitudine.

Quis putas puer iſte erit? Luc. 1. Nemo umquam hominum ſibi promeruit; ſimulque recepit tot præclara æſtimationis, ac dignitatis teſtimonia, quot S. Joannes Baptiſta. Hoc nos docet hodiernum Evangelium; ubi videmus Angelos ſimul & homines non ſine quodam conſenſu in illius laudibus occupatos. Homines quidem ad primum nativitatis ejus rumorem jam impotentes ſunt gaudii, cumque illis verba deeſſent, quibus ſignificarent ſublimes conceptus, quos de eodem animo imbiberant, ex ſemet invicem ſciſcitantur: *Quis putas puer iſte erit?* Quaſi dicerent, hic puer eſt, in quo gratia, & natura omnes theſauros ſuos impenderunt; puer benedictionis, puer prodigiorum, & miraculorum. Jam licet puer, eſt manus Domini, videlicet potentia, & virtus Dei cum illo eſt. Jam exſolvit linguam patris ſui Zachariæ, jam Eliſabeth matris ſuæ ſterilitatem fecundam fecit. Verum ſi naſcens tot miracula operatus eſt, quid tandem temporis progreſſu fiet? Si tantus eſt in incunabulis, quid erit cum per ætatem conſummatæ virtutis perfectionem attigerit? Hoc ſecretum eſt, quod nobis colere ſatis eſt, & penetrare non licet. *Et poſuerunt omnes, qui audierunt, in corde ſuo dicentes: Quis putas &c.* Poſtquam hæc omnia miracula audierunt, illum in corde ſuo ſervant, ac ſilent, quia ſe ſatis digne loqui minime putant, ac prænoſco futurum ut Dei Filius, qui magna habet de hoc puero conſilia, tenebitur ad illos Angelum mittere, a quo ipſis ſua explicetur felicitas.

S. Joannis fidelitas, & humilitas a ſe removentis honorẽ, qui tamquã Meſſiæ defertur.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 3. Parati erant Judæi, ſi S. Joannes id voluiſſet, hunc pro Meſſia habere, hoc eſt pro liberatore, & pro Rege. Sanctus vero Joannes ea animi æquitate, quæ illis ſtuporem injicit, huic abrenuntiat dignitati, illam J. C. reſervaturus. Unum ſufficiebat verbum, conſenſus dumtaxat præſtandus erat, ac ſtatim Synagoga confluiſſet ad honorem illi adhibendum. Sed ille ſatis novit quis ipſe ſit, & cujus ſit. Haud ita, inquit ille: Fratres; non ſum ego ille, quem expectatis: illi injuriam facitis, & vobis, qui me cum illo confunditis. Non ego ſum, ſed alius me major, fortior, atque potentior; alius, cui qui ne abjectiſſima quidem officia præſtem, dignus ſum. Hic, fratres, eſt Chriſtus, & Rex veſter. Ne quæratis illum in hoc deſerto, medius inter vos eſt, & illum ignoratis. Ego neque meritum, neque ſanctitatem ejus habeo. Sum homo peccator, & error pernicioſiſſimus, ac deterrimus, in quem labi poſſitis, eſt mihi hanc Meſſiæ dignitatem deferre, quæ toto cælo ſupra me eſt, & ſupra omnia gratiarum dona, quibus ornari poſſum. Ullumne fuit umquam teſtimonium vel integrius, vel fidelius? Sanctus hic vir felici conformitate characteris adeo ſimilis J. C. reperiebatur, ut pro Salvatore ipſo deſumeretur; & Dei Filius eamdem ob cauſſam adeo ſimilis erat S. Joanni, ut, Evangelio teſte, pro hoc Sancto acciperetur. Sed profunda Præcurſoris humilitas, pati non poteſt ut pro Magiſtro ſuo deſumatur, & omnes abjicit honores, quos ſibi tanquam tali homines deferre contendunt.

Teſtimoniũ ampliſſimũ quod perhibuit Dei Filius virtuti, & merito S. Joannis.

Quid exiſtis in deſertum videre? Matth. 11. Potiſſimum eſt teſtimoniis omnibus, quæ J. C. Præcurſori ſuo perhibuerit laudibus celebrans moram ejus, innocentiam, & pœnitentiæ ipſius ſanctitatem, in undecimo S. Matthæi capite invenitur. Ibi legimus adorabilem Salvatorem cum populo loquentem, & Judæos, a quibus audiebatur, erudientem, ſic illos fuiſſe allocutum: Quid exiſtis in deſertum videre? Vidiſtis Joannem Baptiſtam? quid autem de illo videtur vobis? Credidiſtiſne videre in illo arundinem vento agitatam, hoc eſt ſpiritum levem, mobilem, qui cupiditatum ſuarum motum ſequitur, qui adverſis frangitur, qui in proſperis evaneſcit, qui timori cedit, qui voluptatis vel utilitatis adſpectu commovetur, qui quocumque vento circumfertur, & nulli reſiſtit? *Arundinem vento agitatam?* Haud ita. Joannes hujus farinæ homo non eſt; cor habet firmum, ac in Dei partibus tuendis immobile, anima ſolida eſt, & nullis mundi tentationibus labefactanda; ſpiritus eſt ſuperior omnibus obicibus, quos humana infirmitas objicere poteſt, in quibuſcumque difficillimis muneribus obeundis, quæ probatiſſimam virtutem requirunt. Hic illius character eſt. Sed quid præterea vidiſtis? Num hominem mollibus indutum veſtibus, voluptuoſum, ſua conlectantem commoda, vitæ delicias amantem, corporis, ſenſuumque ſuorum mancipium? *Hominem mollibus veſtitum?* E contra vidiſtis hominem mundo crucifixum, omnibus mundi voluptatibus mortuum, corporis ſui inimicum; abſtinentia & jejuniis ad maciem redactum, hominem aſperrimo tectum cilicio. Hæc forma vitæ eſt, cujus ut exemplum præberet, venit Joannes Baptiſta. Quiſnam ita loquitur?

Dei

Dei Filius; qui perhibet teſtimonium de ſanctitate Præcurſoris ſui, & qui ad id non memorat vel revelationes, vel extaſes, vel donum miraculorum, & curationum, vel Prophetiæ Spiritum, vel alias inſignes gratias, quibus S. Joannes affluebat; ſed qui ſanctitatem conſtituit in ſanctitate vitæ pœnitentis & mortificatæ, in odio ſui ipſius, in carnis crucifixione, ac præſertim in conſtantia, & firmitate.

Puer autem creſcebat, & confortabatur Spiritu, & erat in deſerto uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael. Luc. 1. Illud autem quod maxime admirandum videtur ea in ratione, quam J. C. ſervavit pro ſui Præcurſoris ſanctificatione, non eſt quod illi hanc mentem immiſerit in deſertum ab infantia ſua procedendi. Quamobrem S. Lucas poſtquam nativitatis illius mirabilia enarravit cum cantico Zachariæ patris ejuſdem, ſtatim hæc addit verba: *Puer autem creſcebat, & confortabatur Spiritu, & erat in deſerto uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.* Hoc admirabile eſt vitæ ipſius compendium: puer eſt ſolitarius, qui creſcit, ac ſeſe confirmat in ſpiritu. Quid autem de vita hac ſecreta dicemus? hanc perpetuum fuiſſe jejunium, ſed ante nos dixit C. J.: Venit Joannes neque manducans, neque bibens. Dicemuſne juge fuiſſe colloquium cum Deo, & cum Angelis? Nonne Angelica vita eſt ita vivere, quaſi nullum haberet corpus, atque a terra prorſus ſublatus eſſet, ita ut objecta ſenſibilia illum retinere non poſſent, nihil aliud in hoc mundo videre volens, quam J. C. Quem autem tot annis, quibus nonniſi meditandis vacavit iis veritatibus, quas ab Incarnato Verbo didicerat, progreſſum non fecit S. Joannes?

Quænam eſſet mens S. Joannis dicentis ſe vocem eſſe clamãtis in Deſerto.

Ego vox clamantis in deſerto. Marc. 1. S. Joannis zelus conjunctus fuit cum perfecta fidelitate, quæ illum ſollicitum, & cautum reddit in iis omnibus, ubi de Magiſtri ſui gloria ageretur. Ferre æquo animo non poterat, ut aliter conſideraretur, quam juxta eam relationem, quæ inter ipſum, & J. C. intercedebat. Ego nonniſi vox ſum clamantis in deſerto. Hæ omnes ſunt qualitates meæ, hæc mea officia, Vox ſum, & nihil ultra. Vox ſum, quæ hominum aures præparat: Sed Verbum venit poſt me, ut illos erudiat, & viam ſalutis edoceat. Vox illius ſum; hoc eſt, ſum ſimplex ſonus, qui cordis ſecreta aperire non poteſt; ſed perſonale Dei Verbum venit poſt me, ut omnia Paſſione explicet myſteria. Nonniſi vox ſum, ex memetipſo non ſubſiſto, nihil in me æſtimatione dignum eſt, niſi famulatus, quo ſervio Verbo, quod efficio ut auditur.

De futura S. Joannis magnitudine judicium ferri poteſt ex mirabilibus ejus principiis.

Quis putas puer iſte erit? Luc. 1. Unus Deus huic quæſtioni reſpondere poteſt; unus enim ille in pueri nativitate videt, quid hic futurus ſit deinceps in vita ſua; credere enim hominum fata in ſyderibus eſſe deſcripta, error eſt, quem ſæculorum omnium, & omnium fere mortalium nobis abſtulit experientia. Sed ſi in natura aliquid conjici poteſt, ac de progreſſu, ac fine rei alicujus ex ejuſdem principiis argui; canon hic longe certior eſt in gratia, ubi divina Sapientia in anteceſſum magna minime confert beneficia, niſi ut magna conſilia ſua compleantur; & cum illa jacit fundamenta ædificii alicujus in montibus, ut Scriptura loquitur, ambigi nequit, quominus illud longe altius ſit elatura. Hoc ipſi hodierna die diſcere poſſumus de omnium mortalium juſtiſſimo, & Sanctorum omnium maximo, incomparabili Joanne Baptiſta; quandoquidem in illius nativitate tantam ſibi vendicat partem, ut huic ſuum tribuat nomen, atque eum ſuper omnes naturæ leges traducat. Quid enim putas de puero hoc, qui jam ita magnus eſt, ut quidquid in illo videtur, prodigii loco poſſit haberi? Propheta eſt antequam loqui poſſit; naſcitur ex ſterili matre, & in ipſo gratiæ meridie, antequam Solis lumen viderit, & quod non minimum eſt magnitudinis, omen, Salvator, ejuſque Mater Sanctiſſima illius interſunt nativitati, tanquam aſtra duo, quæ illi præſint: *Quis putas puer iſte erit?* Quis ergo futurus eſt hic puer, qui inde incipit, quo alii in ſublimi ſuæ perfectionis apice vix, & ne vix quidem poſſunt pervenire? Plurimum procul dubio ex hoc puero expectas, ſed affirmari certo poteſt, illam expectationem tuam ſuperaturum eſſe, ubi videris præſtantiſſimum illud munus, ad quod deſtinatus eſt, & quo adeo perfecte perfunctus eſt.

S. Joannes juxta Salvatoris teſtimoniũ erat lucerna ardens, & lucens, quo in ſenſu.

Ille erat lucerna ardens, & lucens. Joann. 2. Illud vidiſtis, dicebat Judæis Salvator, & admirati eſtis. Ille erat lucerna ardens, qua Judæa univerſa illuſtrabatur. Sed lucebat, ut omnes diſſiparet tenebras infidelitatis ſæculi, atque ardebat, ut corda omnia divini amoris igne inflammaret: *Apud vos in Spiritu, & virtute Eliæ prædicavit.* Spiritus ſine virtute, & ſine Spiritu virtus nequaquam fuiſſent ſatis; ſed cum utrumque eminenter poſſederit, perfectiſſimus eſt prædicator. Poſt adeo illuſtria teſtimonia quid erat reliquum?

S. Joannis humilitas, qui ex omnibus titulis qui ſibi deferuntur, illum dumtaxat ſibi eligit Vocis.

Vox clamantis in deſerto. Joann. 1. Paullo attentius profundam Joannis Baptiſtæ humilitatem inſpiciamus. Ego ſum, inquit ille Judæorum legatus. Ego ſum vox clamantis in deſerto. Ex omnibus titulis, qui ſibi deferuntur, ex omnibus elogiis, quæ de eodem facta ſunt, abjectiſſimum eligit, & illud, cui minus ineſt rei, videlicet vox. Dei Filius illum vocat Eliam; Malachias Angelum; Zacharias pater ejus Prophetam Altiſſimi; ſed mavult illum ſibi vindicare vocis, qui eidem ab Iſaia tributum eſt. Vox nil fere eſt, ſonus tantum, agitatus aer, qui præterit, qui momento evaneſcit, qui nullum ſui veſtigium relinquit. Hoc igitur profundæ humilitatis S. Joannis argumentum eſt, hoc vocis titulo contentum eſſe potius quam Angeli, & Prophetæ: verum ſi ſerio ſaluti noſtræ operam navare ſtudemus, vocem hanc aliter ſpectare debemus, quam ſonum, quam ſimplicem Echo aures noſtras ferientem, ac prætereuntem. Vocem hanc attente audire debemus, tamquam Verbum Spiritus, qui nos urget, ut convertamur, tamquam monitum adventus Salvatoris, & iræ Patris ejuſdem, niſi vitæ rationem immutaverimus, niſi omnibus terræ affectionibus abrenuntiaverimus, ut aliquando ad terram viventium, cæleſtemque beatitudinem perveniamus.

Similitudo S. Joannis Baptiſtæ cũ Salvatore.

S. Joannis cum Salvatore collatio factu facilis eſt, dummodo paulliſper attendere velimus. Nam antequam naſcatur, ab Angelo, non ſecus ac Salvator, nuntiatur; nativitas ſua plurimos afficit lætitia, tamquam prænuntia nativitatis Filii Dei, a quo liberandi eramus a peccati ſervitute, & a miſeriis, in quibus poſt tot ſæcula homines verſabantur. Si gratiæ auctor eſt Dominus, hic gratiæ nomen gerit, quippe qui ejus primitias accepit. Ille per Spiritum S. concipitur, hic adhuc in utero matris Spiritu S. repletur. *Replebatur Spiritu S. adhuc in utero Matris ſuæ*; quamobrem dixit S. Auguſtinus, eo tempore Sanctum accepiſſe ſpiritum, quo nondum humani ſpiritus uſum acceperat: *Ante recepit divinum, quam humanum.* Alter ex Virgine naſcitur, alter ex matre dupliciter ſterili; alter Sapientia eſt Incarnata, ac infinito illuſtratus lumine ab ipſo temporis momento, quo eſſe cœpit; alter vero rationis, & una gratiæ lumen recipit. Alter peccare nequit, quippe qui ipſiſſima Sanctitas eſt; alter ante nativitatem ſanctificatur; oportebat enim, ut qui natus erat, ut Agnum ſine macula indigitaret; ipſe quoque miraculum eſſet innocentiæ: alterius privilegium fuit, in ſua & æterna, & temporali nativitate in ſplendoribus Sanctorum generari; alter vero in partem hujus privilegii acceſſiſse videtur; quoniam egreſsus eſt ex utero Matris ſuæ, ut in ſinu Matris Domini reciperetur, & ita prope ad Salvatorem ipſum, qui in eo continebatur, accederet, ut illius ſplendore undequaque circumfunderetur; perinde quaſi Spiritus S. per hanc conformitatem nobis oſtendere vellet, oportuiſse illum eſse magnum, ut judicium inde ferri poſset de illius magnitudine, qui illum erat ſubſecuturus, & oportuiſse Sanctum eſse, ut annuntiaret, ſimulque repræſentaret illum, qui per eſsentiam eadem ſanctitas erat.

S. Joannis Teſtimoniũ ſatis erat, ut crederẽt Judæi, J. C. verum fuiſſe Deum.

Hic venit in Teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine. Joann. 1. Jure ſuo Tertullianus irridebat vetus illud Romani Senatus Conſultum, quo cautum erat, ne Deus aliquis coleretur, prima illo totius Mundi cœtu non probante: Ubi inſignis ille Doctor hoc ait: *Si humano arbitrio divinitas penſitatur, niſi homini Deus placuerit, Deus non erit.* Igitur de deorum divinitate hominum ſuffragiis fertur judicium, & niſi homines probaverint, Deus pro Deo non habebitur. Jure quidem Ethnicos irridet Tertullianus, ſed in optimo ſenſu dicere poſsumus: *Humano arbitrio Divinitas penſitatur.* Dei providentia præcepit, ut fides, & cognitio divinitatis Salvatoris penderet a Præcurſoris ſui teſtimonio, quod S. Joannes illi perhibere debeat. *P. Texier.*

Hic erit Magnus coram Domino. Luc. 2. Ne Zacharias fallacem animo imbiberet conceptum de eo, quod aliquando futurus erat Filius ſuus, Angelus, qui eidem apparuit, eum erudivit. Filius, quem tibi naſciturum polliceor, ait, Joannes vocabitur; præclaro Præcurſoris Filii Dei titulo decorabitur; in utero matris gratia replebitur; ejus nativitas erit gaudium univerſæ terræ; innocens erit, & vitam pœnitentem aget; quamplurimos convertet prædicationibus ſuis; in ſpiritu, & veritate vias Eliæ percurret, ejuſque virtutes imitabitur: *Hic venit in Spiritu, & virtute Eliæ.* Temporis decurſu glorioſum hoc vaticinium confirmavit Salvator dicens Joannem Baptiſtam non eſse arundinem vento agitatam, hoc eſt hominem infirmum, atque inconſtantem, ad arbitrium cupiditatum ſuarum quocumque ſe vertentem, ſed inter natos mulierum nemine illo majorem ſurrexiſse; cujus tamen magnitudinis menſura non ab his futilibus honoribus deſumitur, quos mundus quotidie noſtris objicit oculis, ut nos pelliciat; & qui ſuperba, & ambitioſa faſcinant corda. Virtutes ejus illum coram Domino magnum efficiunt; profunda ejus coram Dei Majeſtate humilitas illi præſtantiſſimas quaslibet dignitates conciliat; ejus pœnitentia & innocentia, ejus conſtantia ac firmitas in veritate prædicanda quin deterreatur malis, quæ poſsunt accidere, quin ulla cupiat bona, quibus augeri poſset, ut veritatem vel ſuppprimeret, vel diſſimularet, vel omnino celaret. Hæ illæ virtutes ſunt, quibus effectus fuit magnus, immo & maximus coram Deo: *Erit magnus coram Domino.* In præclaro nomine, quod plurima complectebatur & ſignificabat miracula: in hac lætitia, quam ejus nativitas mundo peperit; in hac firmitate in abjiciendis laudibus, glorioſiſque titulis, quæ illi ultro a populo deferebantur; in zelo, quo gloriam celebrabat illius, cujus erat Præcurſor, in fructu, quo Meſſiæ præſentiam annuntiabat, in his totidem veluti fundamentis conſtituta eſt ejus magnitudo, quapropter Dei Filius dixit: *Inter natos mulierum non ſurrexit major. Sermo Manuſcriptus.*

Nobis non eſt murmurandum cõtra Providentiam videntibus S. Joannem in vinculis, &

Cum audiſſet Joannes in vinculis, &c. Matth. 11. Divina Providentia, quia video! Sanctitatem in vinculis, crimen in throno, prophetarum omnium maximum in carcere obſcuro, & mortalium omnium nequiſſimum in aula florentem, Joannem Baptiſtam in opprobrio & ærumnis, Herodem in honore & deliciis! Nonne verum eſt, Fideles, vos ægre

cohi-

BIBLIOTECA CENTRAL

Herodem in deliciis.

cohiberi ne ad hujus ſpectaculi intuitum in murmurationes erumpatis! Nonne libenter a Deo peteretis, ut mirabilis adeo providentiæ rationem aperiret? Sed abſit, quod cenſoria nota divinam increpemus Sapientiam, niſi noſmet inſaniæ ſimul volumus condemnare; illius juſſa vereamur, quin ſecreta perſcrutari velimus; humiliter adoremus manum, quæ viros bonos in hac vita ideo flagellat, ut illos coronet in altera, juxta S. Petri Chryſol. ſententiam: *Et ſi patiuntur mala, non patiuntur ad pœnam, ſed ſubeunt ad gloriam.* Sed potiſſimum hodierna die a glorioſo J. C. Præcurſore diſcamus, in patientia, rectoque tribulationum uſu beatæ immortalitalitatis ſemen contineri.

Enumeratio virtutum, & meritorum S. Joannis, quibus factus eſt magnus coram Deo & hominibus.

Quis putas puer iſte erit? Luc. 1. Quærentibus, quis puer iſte futurus ſit, audacter reſpondere poſſumus; fingite vobis quidquid eſſe poteſt præſtantiſſimum, & maximum in homine, nobilitatem, cognationum decora, mentis corporiſque perfectiones, ſcientiæ eminentiam, præclara officia, actiones heroicas, vitam ſanctam, glorioſam mortem, hæc omnia in fatis ejus reperio. Propheta erit, & pluſquam Propheta; Apoſtolus, & Apoſtolorum Magiſter, Evangelica tuba ante ipſos Evangeliſtas, Martyr, antequam Fides martyres faciat; Doctor Doctorum, Pater Eremitarum, exemplar Virginum, menſura ac typus Sanctorum omnium, vel ut melius dicam, Angelus in carne, & Seraphim ſub hominis figura. Vultis ne me magis adhuc ſingillatim fatum ejus perſequi? Puer hic, quem videtis pedem efferre paterna domo ea ætate, qua alii vix certo pede humum ſignant, in horrentia ſeſe recipiet deſerta, ubi plures annos iis rebus vitam alet, quæ potius præcocem vitæ ipſi afferre deberent interitum, non alio unus cibo, quam amaritudine, non alio indumento, quam duro, aſperoque corio, quod ad corpus illius affligendum, quam tegendum fuiſſet aptius; non domo alia, quam antro; non alio cubili, quam humo, non aliis ſociis, quam feris, & arboribus. Poſtquam diuturnam adeo, auſteramque pœnitentiam, quin facti ullius ipſum pœnitere deberet, perpeſſus fuerit, ſeſe in hominum lucem profert, tamquam cælo dilapſum; omnes undique confluent ad ejus deſertum: Jeroſolyma, finitimæque civitates deſerta fient; vitæ ejus auſteritas, ac vis cæleſtium ſermonum illius tantam illi nominis celebritatem comparabunt, ut pro Meſſia deſumatur, & ſollemni legatione corporum omnium reipublicæ titulus, & honores Meſſiæ debiti deferantur. Verum enim vero ejus humilitas omnes has oblationes ad ambitionem extimulandam aptiſſimas repellet; & ipſi accidet gloria videndi verum Meſſiam coram ſe humiliatum, & manu ſua illum baptizandi, qui omnia Mundi peccata abluturus eſt. Denique poſtquam peccatoribus pœnitentiam, Aulæque veritatem prædicaverit, poſtquam tyrannidem ſuo ſtipatam ſatellitio deterruerit, poſtquam in ipſis vinculis libertatem ſuam ſervaverit, illud ſubiturus eſt ſupplicium, quod æternum futurum eſt Judici quidem ſuo probrum, ſibi vero gloria immortalis. Morietur, ſed poſtquam Regum, & Pontificum reverentiam, Sapientum admirationem, & Incarnati verbi elogia ſibi conciliaverit. Morietur, ſed in omnium ſæculorum memoria victurus.

Quid dicis de te ipſo? Joann. 1. Jam Joanni Baptiſtæ ſanctitas ultra Jordanem maxime celebrabatur: jam finitimi populi ad eum certatim confluebant, ut baptizarentur, jam omnes illius ſermonibus illecti erant, jam quiſque ſeſe ad eum videndum, cujus adventum in terras ille prædicabat, præparabant: cum Scribæ, & Phariſæi mirantes ea, quæ ſibi de ſummo viro hoc narrabantur, miſerunt Jeroſolyma quoſdam Sacerdotes, ac Levitas quæſitum, quis eſſet, *tu qui es?* Illum, qui ſibi nequaquam debebatur, peroſus honorem, fatetur ingenue ſe Chriſtum non eſſe, quem videntur perquirere; ſe Eliam non eſſe, neque ex Prophetis aliquem. Dic ergo, ſubdunt Sacerdotes, dic quinam ſis: *Quis es? Ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos. Quid dicis de te ipſo? Ego*, inquit ille, *vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini.* Quid ipſi reſponderemur, ſi ex nobis hoc ipſum quærerentur? In ea arctiſſima neceſſitate, in qua omnia Chriſtianiſmi officia debemus obire, quomodonam illis perfungimur? an Chriſtiani nomine gaudentes, vitam Chriſtiano homine dignam ducere contemnimus? Num Religionis noſtræ characterem ſatis digne ſuſtinemus? Num chriſtianorum ſpiritum, moreſque ſervamus? Num facta ſequimur? *Quid dicis de te ipſo?* degenerantes ab eorum virtute, qui præceſſerunt, nonne gloriæ ipſorum labem effundimus? Caveamus ne oblitu ſenſu zeli, ac fervoris, quos illi foverunt, erga tantum Magiſtrum, qualis eſt Deus, ſequamur eam vitæ laxitatem, quæ dedecori eſt Religioni, quam profitemur.

S. Joannes prædicat pœnitentiā & nos vocem hanc, quæ ad nos æque ad Judæos dirigitur debemus.

Vox clamantis in deſerto: parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Luc. 3. S. Joannes Baptiſta iterum ex deſerto egreditur, ut ſuo Præcurſoris munere perfungatur. Hæc vox eſt, quæ Incarnatum Æterni Patris Verbum præcedit, ut homines ad hoc adeundum diſponat; ſed vox tonitrui confringentis cedros, conterentis petras, commoventis montes, & terram univerſam concutientis: Animæ ſuperbæ, corda ambitione inflata, inanes ſuperbique ſpiritus, vobis detonans hæc loquitur vox; in vos erumpit, & fulminat, & ſi magis ſurdi eſſetis, quam arbores, duri magis, quam rupes, magiſque ſenſu carentes, quam montes, voci huic reſpondere debetis, & echo ſimiles, ſubmiſſione, dejectione, & humilitate veſtra reſpondere: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.* Omnis ergo, qui Mundi ſpiritu, ejuſque cupiditatibus vacuus eſt, confidat; humiles ſeſe attollant ſpe, quam ille præbet recens hic, & primus humilitatis præco; ſpiritus vero audaces, ſuperbi, inani præſumptione tumidi, afferta excellentia ſua inflati ſeſe deprimant, humilient, in propria dejectione, & nihilo confundant, ſi ex documentis humilis Meſſiæ Præcurſoris ſtudent proficere.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Quaſi ex aliquo ſimilis Domini præmittitur filius ſterilis ante Filium Virginis, neſcio quod majus miraculum ipſa nativitate declarans. e. Auguſtinus ſerm. 1. de S. Joanne Baptiſta.

Nondum natus jam prophetat, & quod voce non poteſt, gaudio confitetur. Idem.

Ante cœpit vivere Deo, quam ſibi. Idem.

Naſcitur major homine, par Angelis, Propheta Patris, Filii nuntius, Judæorum correctio, vocatio gentium, & ut prope dicam, legis, & gratiæ fibula. Idem.

Dignus Joannes, cujus magnitudini etiam Salvator teſtimonium perhibeat. Idem ſerm. 2. de Joann.

Joannes ante accepit divinum ſpiritum, quam humanum. Idem ſerm. 3. de eodem.

Tam magnus erat Ioannes, ut Chriſtus poſſet putari. Idem.

Facile eſt laudem non cupere, cum negatur; difficile eſt ea non delectari cum affertur. Idem.

Quandoquidem nihil majus extitit in genere humano, quam Joannes Baptiſta; nec in natis mulierum exſurrexit, ſi quæris excellentiam hominis, Joannes Baptiſta eſt. Idem in præfat. in Pſal. 29.

Magnus Joannes præcellit ceteros, eminet univerſis; antecedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas: & quiſquis de muliere natus eſt, inferior eſt Joanne. S. Ambroſ. ſerm. 2. de Nativ. Joannis.

Tempus ſiletur infantiæ, quia infantiæ impedimenta neſcivit. Idem.

Habebat intelligendi ſenſum, qui exultandi habebat affectum. Idem.

Prius ſentit initia gratiæ, quam naturæ. Idem de vocat. Gent. l. 2.

Quia tardabat corpus, ſolo ſpiritu implebat Evangelizantis officium. S. Auguſt. ſerm. 3 de Joann.

Prophetiæ ſpiritu intra matris uterum repletus, atque, ut ita dixerim, priuſquam naſceretur, renatus. S. Gregor. lib. 3. Moral. c. 5.

Joannes par Angelis, major homine, legis ſumma, vox Apoſtolorum, ſilentium Prophetarum. Chryſ. ſerm. 127.

Fervens nuntius! qui ante cœpit nuntiare Chriſtum, quam vivere. Idem.

Veſtimentum de pilis camelorum habuit, ut habitu quoque ipſo mundi contemptum doceret. S. Chryſoſtom. homil. in c. 3. Matth.

Replebitur Spiritu S. Magnum eſt Spiritu S. illuſtrari, ſed majus eſt repleri. Hilarius Arelatenſis.

In eum nihil macula introire poterat: in quo ſanctificationis plenitudo regnabat. Euſebius Emiſſenus.

Veteris teſtamenti finis, & novi principium eſt Baptiſmus Joannis. Cyrillus Hieroſol. catech.

Initium Evangelii Jeſu Chriſti erat Joannes baptizans. Idem ibidem.

Joannis Baptiſtæ vita quid aliud erat, quam unicum, & perpetuum jejunium? S. Baſil.

Joannes quaſi limes conſtitutus inter nova, ac vetera, ad quem deſineret Judaiſmus, & inciperet Chriſtianiſmus. Tertullianus contra Marcionem.

Joannes victu, veſtitu, cubitu, loco pœnitens. Petrus Chryſologus.

Joannes ſeveritates verborum, & publicanos terruit, & multorum corda tremere fecit, non in diſperſionem. Chryſ. hom. 11. in c. 3. Matth.

Quaſi etiam intra matris viſcera clamat: Ecce Agnus Dei. S. Leo.

Joannem præſentia Chriſti conſecrat. Petrus Damiani.

Joannis nativitatem gratia operatur, natura miratur. Abbas Guerricus.

Quis in Joanne Baptiſta peccati poterat eſſe locus, quem & ante nativitatem Spiritus S. conſecravit adventum? Beda Homil. de decol. Joann. Baptiſtæ.

Major omnibus, quia omnes virtutis ſublimitate ſuperabat. Clemens Alexandr. l. 2.

Quod Apoſtolis conceſſum eſt Chriſto aſſumpto: hoc Joanni in utero conceditur. S. Bernard. ſerm. de Privilegiis Joann. Baptiſtæ.

Novum in novo homine mirare fervorem. Idem ibid.

Joannes ætatis ſupergreſſus infantiam, & nobilioris generis generoſitatem oblitus, ſoli vacat divinitati. Idem ibid.

In hac die natus eſt Sanctorum ſplendor, Juſtorum gloria, lætitia Angelorum, conſanguineus Chriſti, amicus Sponſi. Idem ibidem.

Unus eſt, & ſimilem non habet, qui choris inſertus Angelicis univerſitatis humanæ tranſcendit aſſenſum. Idem ibid.

Sic ab ortu vitæ ſuæ uſque ad occaſum converſatus eſt cum hominibus, ut forma vitæ morum informatio videatur. Ibid.

Vere Magnus coram Domino, quem Angelus annuntiat, ſanctificat Deus, Spiritus replet, vita commendat. Ibidem.

Reliquit Joannes Mundum, homines fugit, patriam neſcit, parentes aſpernatur, & in ſolius Divinitatis apicem defigit obtutus. Idem ibidem.

Mira rerum converſio! Hominem vix mundum ingreſſum mundum fugere, gloriam, & ſæculi cupiditates non ſolum oblivisci, ſed neſcire; perpetuumque cum divinitate habere conſortium. Ibidem.

Erat ipſa lucerna ardens, & lucens: magnum teſtimonium: eſt enim lucere tantum, vanum; tantum ardere, parum; ardere & lucere, perfectum. Idem ibidem.

Mirabilis eſt, qui in humana natura Angelicam tranſgreſſus eſt Sanctitatem. S. Chryſ. homil. 27. in Matth.

Speciali gratia ob hoc Redemptorem Mundi Joannes noviſſimus prophetavit, ut oſtenderet eum primus. S. Maximus homil. 3.

Chriſtus feſtinabat adhuc in ventre Matris Joannem poſitum ſanctificare. Origenes homil. 7. in Lucam.

Eſt coram Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis: eſt etiam parvitas animæ & pueritia virtutis; puſillus eſt, qui nullum adhuc virtutis videatur hauſiſſe progreſſum: magnus iſte dicitur, qui caret errore infantiæ. S. Ambroſ. lib. 1. in Luc. cap. 1.

Manum, quam Joannes dicit calceamento indignam, ſuper caput ſuum Chriſtus attraxit. S. Chryſol. Serm. 38.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hauriri poſſit hoc in Argumento?

S. Joannes fuit magnus coram Deo præ aliis pluribus Sanctis, quibus Scriptura hoc ipſum tribuit elogium.

GAbriel Angelus cum Zacharia S. Joannis patre loquens magnificum hujus Præcurſoris elogium protulit, cum ait, *Erit Magnus coram Domino.* (*Luc.* 2.) Verum eſt dici poſſe de pluribus, tum veteris Teſtamenti, cum novi Sanctis, illos coram Domino magnos fuiſſe: ſed de nullo eorum dictum fuit, dicive poteſt, quod Salvator ipſe de ſuo dixit Præcurſore: *Inter natos Mulierum non ſurrexit major;* (*Matth.* 21.) unde jure poteſt inferri, ſanctitatem illius maximam fuiſſe, nomen *major* pro *ſanctior* aſſumendo, ſecundum ipſius Eccleſiæ ſenſum in hymno in magni hujus Sancti laudem compoſito:

Non fuit vaſti ſpatium per orbis.
Sanctior quiſquam genitus Joanne.

S. Joannis Nativitas nulla fuit peccati labe fœdata, ut aliorum Sanctorum.

Sanctitas, ſi rite accipiatur, in omnimoda peccati fuga, perfectoque juſtitiæ amore conſiſtit. In utraque hac parte S. Joannes excelluit ſuper omnes, qui illum præceſſerunt. Peccatum in originale, & actuale dividitur; actuale vero in mortale, & veniale. Quod ſpectat ad originale, communis eſt Eccleſiæ fides, ſi S. Joannis nativitas illius labe coinquinata fuit, nativitatem illius prorſus puram fuiſſe, nam ſexto menſe poſtquam fuerat conceptus, ſanctificatus fuit per viſitationem Sanctiſſimæ Virginis, quæ ferebat alvo Salvatorem, ipſam animarum ſanctificationem. Si igitur reliquis Teſtamenti utriuſque Sanctis hæc accidit calamitas, ut in mundum tanquam noxii ingrederentur, deferentes in fronte ſuæ condemnationis ſententiam iis deſcriptam characteribus, qui nonniſi Agni immaculati ſanguine poſſunt deleri, ſi naſcentes apparuerunt coram Deo tanquam objecta digna ejus indignatione, *Filii iræ*; S. Joannes per hanc præcocem ſanctificationem expers fuit hujus ærumnæ, natuſque eſt cum gratia, quæ illum Dei oculis reddidit acceptum.

S. Joannis per J. C. ſanctificatio habuit charactere excellentiæ ſupra reliquos.

Theologi ſcite animadvertunt, opera, quæ J. C. immediate manu ſua operatus eſt, peculiarem habuiſſe excellentiam. Nihil fulgidius erat oculis, quos cæcis dabat; nihil ſuavius pane, quem in deſerto multiplicavit. Hoc ipſum de gratiæ miraculis dicendum eſt; & quandoquidem Salvator ipſe operatus eſt S. Joannis ſanctificationem, dicamus oportet illam peculiarem characterem recepiſſe. Deus antiquitus circumciſionem præceperat ad originale peccatum delendum; hodie per baptiſmum deletur: ſed Salvator ſolus omnino in S. Joannis ſanctificatione operatur. Facit, ut ita dicam, ex propria præſentia quoddam veluti Sacramentum ad gratiam Præcurſori ſuo conferendam; eamque eo uberiorem, quia hæc prima eſt operatio, quam facit poſt Incarnationem ſuam, ſuumque ingreſſum in mundum. Primæ cauſſarum operationes ſemper ſunt excellentiores, earumque effectus ſemper majori habentur in pretio, quippe qui virtutis earumdem primitias recipiunt. J. C. venit tamquam Redemptor, ut deſtruat peccatum, atque ut Sanctificator, ut conferat gratiam; ſed tunc primum duplici hoc munere fungitur, cum S. Joannem ſanctificat. Hoc primum eſt operationum ſuarum ſubjectum, & dubitare nefas eſt, quominus peculiari modo virtutem ſuam Sancto Præcurſori contulerit.

S. Joannes in matris utero ſanctificatus fuit longe aliter ac Jeremias.

Quorumdam Doctorum ſententia eſt Prophetam Jeremiam, non ſecus ac Joannem Baptiſtam in matris utero fuiſſe ſanctificatum; atque illis innituntur verbis, quæ in Prophetiæ ipſius exordio inveniuntur: *Priuſquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de ventre, ſanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te.* (*Jerem.* 1.) Si Deus illum ſanctificavit antequam de matris ventre egrederetur; ergo illam ab originali peccato liberavit, quod cum ſanctificatione ſimul eſſe non poteſt. Ambigi nihilominus poteſt, num ſanctificatio, de qua hic ſermo eſt, eadem ſit, atque gratiæ ſanctificantis infuſio, an ſimplex ad Prophetæ miniſterium vocatio; & utrum Deus aliquid ſignificare voluerit præter quam quod ante conceptionem, & nativitatem Jeremiæ illum ab æterno, & in præſentia ſua ad præcurſoris officium & ad ſanctitatem muneris hujus exercitio congruentem deſtinaverat; quod ipſum de ſe aliis verbis dixerat Iſaias: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei, & poſuit me quaſi ſagittam electam.* (*Iſaiæ* 49.) Ex quibus verbis Iſaiam in ipſo matris utero ab originali peccato liberatum fuiſſe argumentatus eſt nemo. Neque ulla ſatis probata ratio apparet gratiam hanc Jeremiæ potius, quam Iſaiæ fuiſſe conceſſam, qui myſterium Incarnationis adeo manifeſte prophetavit. Cur autem hoc ipſum privilegium Moyſi quoque, & Davidi, vel alteri cuipiam veterum Patriarcharum, Prophetarumque conceſſum non fuit? Quod ſi quiſpiam innititur vi hujus vocabuli, *ſanctificavi te*; liquet in Scripturis ſanctis non ſemel hoc verbo ſignificari, non quidem gratiæ ſanctificantis infuſionem, ſed ſimplicem ad hoc, vel illud ſacrum miniſterium, vel etiam ad aliquam rem, quam determinaverit Deus, exequendam deſignationem. Veluti cum per Iſaiam dicit: *Ego mandavi ſanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea.* (*Iſaiæ* 13.) Quos ſanctificatos appellat, erant Perſæ, Medi, Idololatræ, quorum opera uſurus erat ad Babylonis excidium. Sed ut ad S. Joannem revertar, hic unus eſt ex omnibus hominibus, de quo certiſſime dici queat, non ſolum ſanctificatum fuiſſe; quæ vox, ut nuperrime oſtendi, ad alia plurima pertinet argumenta; ſed omnino liberatum, & exemptum a peccato originali ex utero matris ſuæ.

Velox gratiæ operatio in Sancti Joannis ſanctificatione.

S. Bernard. conſiderat S. Joannem in hac præcoci ſanctificatione tamquam lucernam extinctam, quæ ſtatim accenſa fuit; & S. Patres non ſatis admirari poſſunt adeo celeres gratiæ effectus in mente, & corde S. Joannis. *Ante cœpit vivere Deo, quam ſibi: ut vinceret Mundum, vincit ante naturam: antequam Chriſtum præcederet, ſe præceſſit.* Salvator potiſſima, & agens eſt cauſſa, qua ſanctificatur, & Sanctiſſima Virgo cauſſa eſt inſtrumentalis hujus ſanctificationis. Et ſi verum eſt, ex Theologorum ſententia, Salvatoris opera propria illius manu facta, hac de cauſſa peculiarem habere excellentiam: S. Joannes procul dubio peculiari charactere fuit inſignitus, idque eo uberius, quia ille primum fuit opus J. C. ſuper terram, prima effuſio divini hujus fontis gratiarum; ac primum ſupremi hujus animarum ſanctificatoris opificium.

S. Joannes Baptiſta immunis fuit a peccato mortali.

Communis eſt Doctorum ſententia, S. Joannis animam nulli mortali peccato obnoxiam fuiſſe, cum in gratia confirmata fuerit antequam ſanctus ille Præcurſor naſceretur. Et Doctor Angelicus tradit, (3. *p. q.* 27. *art.* 6.) donum confirmationis in gratia annexum illi eſſe ſanctificationi ante nativitatem. Quænam felicitas in mundum ingredi magis de ſua ſalute certum quam Angeli, ubi creati fuerunt in Cælum ingreſſi ſint, & quam primi parentes noſtri in Terreſtrem Paradiſum introierunt! Neutri eorum in gratia confirmati fuerunt, quod probavit eventus, ſed S. Joannes in hunc mundum ingreſſus eſt, qui locus eſt miſeriæ, certus ſe miſerum numquam futurum. Illuc tamquam triumphans introivit hoſtibus ſuis proſtratis, profligatiſque: erat etiam felix ille nuntius qui ſponſi nuntiabat adventum, & præco, qui pacem cælum inter, ac terram ſancitam erat annuntiaturus.

Opus erat, ut qui veniebat praeparaturus viam Divinæ Majeſtati, maximus eſſet, ac præcellentiſſimus mortalium omnium, & ut lucerna hæc ardens, & lucens nunquam vel uno mortali peccato extingueretur. Si penes doctores quoſdam fides eſt, fortaſſe fuit etiam ab omni veniali noxa immunis, quæ ſententia ipſi etiam S. Gregorio arriſiſſe videtur libro ſecundo in Job. Beda Venerab. in homilia quadam de S. Joannis Decollatione ait: Licet hæc generalis ſit, ac definitiva ſententia, nos omnes in pluribus deficere; nihilo minus quis audeat dicere, S. Præcurſorem aut verbo, aut facto, vel habitu vel agendi ratione deliquiſſe? Quem locum habere poterat peccatum in corde, quod Spiritus S. ſua repleverat gratia ante ipſam nativitatem? Et quomodo Sanctus ille vir vel minimum a virtutis via receſſiſſet, cum eſſet Angelus a Patre miſſus ad illum nuntiandum, qui via erat, veritas, & vita? Verum eſt, hæc teſtimonia illis favere, qui putant, Sanctum Præcurſorem ab omni vel leviſſima labe immunem fuiſſe: Sed Sancta Eccleſia nobis credendi locum præbet, hoc non de qualibet venialium peccatorum ſpecie intelligendum eſſe, ſed de illis tantum, quæ verbo committuntur. Et S. Auguſt. ipſe ſcribens contra Pelagianos, eorum, qui aliquantiſper cum rationis uſu vixerunt, neminem excipit a peccato præter Sanctiſſimam Virginem, quemadmodum conceptis verbis oſtendit in libro *de Natura, & Gratia.*

Dei filius prævenit S. Joannem in ordine gratiæ, ſicut S. Joannes prævenit Salvatorem in ordine miniſterii.

Dicere poſſumus, ad hoc ut Dei Filium in ordine Miniſterii Joannes præverteret, opus fuiſſe, ut Joannem Dei filius in ordine gratiæ præveniret, eamque in ipſum effunderet, dum uterque adhuc in matrum ſuarum utero continerentur; unde ſequitur; quod magnus hic Sanctus poſt beatiſſimam Virginem recepit primas gratias, quas Verbi Incarnatio operata eſt; etenim illæ omnes, quæ antea ipſi collatæ fuerant, datæ quidem illi fuerunt propter Incarnationem, ac merita illius, qui ad mundum univerſum redimendum venturus erat, ſed non fuerant immediate per ipſum collatæ, ita ut prima Salvatoris actio

BIBLIOTECA CENTRAL